



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 80. Cæsaris Responsum ad Deputatorum postulata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

## §. LXXX.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1529.*Cæsaris Responsum ad Deputatorum  
postulata.*

Imperator per interpretem hisce Deputatis responderi iussit, quod eorum postulata percepisset, eaque etiam obsequia, quæ Principum suorum nomine deferrent, pergrata haberet, ac communicato cum suis consilio, quod æquum videretur, ad eorum petita responsurus foret. His dictis Deputatos ad diem decimam tertiam redire iussit, qua etiam illis scripto responsum his verbis dedit: *De rebus Spiræ gestis necnon de decreto, quod Ferdinandus frater meus edidit plenam accepi notitiam, priusquam vos huc advenissetis: Dissidium hoc inter Principes subortum, quod multis incommodis atque malis occasionem præbeat, vehementer doleo, cumque mei officii sit, hæc omnia præcavere, ne accidant, aut saltem, cum acciderint, emendare, ideo diu multumque de tota rei serie cum meis Consiliariis deliberavi, atque ita intellexi, decretum illud eo fine factum esse, ne quid deinceps innovetur, nec ulli seditionis sit in posterum locus, cujusmodi jam inventæ sunt complures & admodum tetrae: Deinde ut pax & concordia per Imperium statuatur; ideoque Saxonica Princeps alique ejus socii merito debuissent his omnibus*

*Sleid. l. c.*



Sæc. XVI.  
A.C. 1529.

acquiescere; nam & mihi & reliquis Principibus, animæ salus & conscientiæ tranquillitas non minus curæ est, quam illis, nec etiam minus optamus Concilium, quam illi; quamvis illud non admodum necessarium esse videatur, si modo, quæ communi voluntate atque consensu decreta sunt, valerent, si quoque illud omnium Ordinum approbatione factum WORMATIÆ decretum, & huic a me conjunctum edictum servaretur, sicut & ipsi fatentur, ejusmodi decreta firma esse debere & fixa: cum igitur moribus receptum sit, ut quod major pars Ordinum Imperii sancivit, paucis quibusdam rescindere non liceat, ideo datis literis ad Saxonem atque Socios mandavimus, ut decretum hoc ratum habeant, nec contra faciant, sed obtemperent. Speramus itaque eos facturos, quod jussimus; id quippe nobis longe gratissimum erit, præsertim hoc in tempore, quo certo nunciatur, Christiani nominis hostem Turcam jamjam cum omnibus copiis petere Germaniam: hac super re egimus cum summo Pontifice, ac compositis quoque rebus per Italiam, quod felix atque faustum sit Universæ Reipublicæ, primo quoque tempore vim omnem atque vires in Turcas convertemus.

§. LXXXI.